

Pax Christi.

1278

Reverendissime atque Illustrissime Domine.

Literas D.V. 21 Martii datas, accepi 6 Maii, ex quibus intellexi meas cum libello perlatas esse. De humanissima dignatione Illustrissimae D.V., quod de tenui meo labore tam amanter judicarit, tam fraterne et propria manu scripserit, maximas gratias ago, Deum precatus ut D.V. Ecclesiae suae velit quam diutissime esse incolumem.

Pareus gnaviter et magno suorum plausu, et quod doleo damno pergit Nundinis Francofurtensibus autumnalibus contra sex libros de amissione gratiae, seu statu peccati totidem edidit, ut nuper scripsi, nunc vero et de libero arbitrio hoc paschate editi sunt alii sex, proximo septembri sequentur alii. Quocirca operae precium duxi haec indicare D.V. ae, ut certo cognoscam, an me velit in eisdem libris D. V. a tot mendaciis, calumniis, cavillis vindicandis laborare, adversarii vestigia insequendo. Quod si D.V. velit, de modo, methodo, stylo, omnia pro V.D. arbitrio constituam, paratus doceri, moneri, reprehendi, et emendari. Scripsi etiam ad P. Generalem literas, quibus peto licentiam progrediendi si ita D.V. videatur. Certi me aliquid habere ad directionem meorum studiorum expedit. Multi me hortantur, et interesse putant Religionis hominem tantae auctoritatis retundi. In libello edito quaedam philosophica, et quasi grammatica sunt, quae ad rei summam non videntur facere, sed apud sciolos quales sunt ejus auditores valde minuitur senis auctoritas, cum in his parvis vident eum hallucinari. Divinae protectioni et D.V. Illustrissimam et causam commendo. Moguntiae 9 Maii 1613.

Reverendissimae atque Illustriss. D.V.

Servus indignus

Adamus Contzen.

(Adr.) Reverendissimq atque Illustrissimo Roberto Bellarmino S.R.E. Cardinali amplissimo Dño suo observandissimo. Romam. (cach. S.J.) (manu Bell.) P. Ad. Conzen.